



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XXIX. De unione beneficiorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



C A P. XXIX.  
DE UNIONE BENEFICIORUM.

## I.

Unionis  
causæ le-  
gitimæ.

**B**ENEFICIA procedente tempore interire possunt, si vel Ecclesiæ destruuntur, vel proventus dilapidantur. Si proventus permanet, æde corruente, quod ruri sæpe contigit, cultus in aliam Ecclesiam vicinam transferendus est. Si pars proventuum superat, quod plerumque fit, unitur alii cuidam titulo beneficiario<sup>1</sup>. Uniri ergo beneficia possunt ex causâ *necessitatis & utilitatis*<sup>2</sup>. Si per hostium incurSIONEM civitas ita desolata est, ut vel nulli, vel pauci Christiani supersint, Episcopatus ejus unitur vicino Episcopatu: quod Longobardorum temporibus sæpe factum in Italia<sup>3</sup>. Idem dicendum de parochiis, de quibus vetus regula, cœtum decem familiarum presbytero sufficere. *Utilitas* militat pro unione, si v. c. parochia non habet redditus, qui alendo presbytero sufficiant. Huic enim vel capella vel aliud simplex beneficium jungi<sup>4</sup>, & si præbendæ tenues sunt, numerus earum minui potest, ut superstites canonici lautius vivant. Atque hæ solæ causæ sunt legitimæ.

- 1) *Concil. Trid. sess. 21. c. 9.* 2) *C. 33. X. de præb.*  
3) *GREGOR. I. ep. 15. Hist. eccl. l. 3. n. 17.*  
4) *C. 33. X. de præb.*

& spuria.

**II. MORIBUS** corruptis arrisit novum genus unionum sine causâ, quas *gratiosas* vocarunt, quando papa vel Episcopus be-



beneficia conjunxit sine necessitate, ut Episcopi vel capituli reditus auferrentur. Sed quum id in fraudem collatorum fieret, placuit uniones facere ad dies vitæ hujus vel illius cardinalis, cui papa hoc modo plura indulgit beneficia titulo *unionis*, quæ cum ejus vita exspirabat. Quas uniones concilium Trid.<sup>1</sup> sustulit, voluitque, ut perpetuæ, ultimis XL. annis factæ, examinarentur ab ordinariis, annon *subreptionis* vitio laborarent, neve in posterum sine causa legitima fierent: quo ipso uniones *gratiosa* sublatae sunt<sup>2</sup>.

1) Sess. 7. c. 4. an. 1547. 2) Sess. 24. c. 7.

III. UNIONES legitimas etiam beneficiorum regularium Episcopus facere; per-<sup>quis  
uniatur</sup> sonatus autem Episcopo inferiores non facere possunt<sup>1</sup>. Si Episcopatus uniendi sunt, aut si beneficium mensæ episcopali adjiciendum, jure novo papæ auctoritate opus est; quod tamen sine Episcopi consensu facere nequit, neque in Francia id facile permetteretur. Præcedere debet causæ cognitio, citatis, quorum interest, parochianis, collatoribus, patronis; explorata locorum conditione, commodo & incommodo. Jam vero quum salus animarum semper præferatur, *cura* nulla supprimenda est, ut alteri curæ uniatur. Obsequendum est voluntati fundatoris<sup>2</sup>. Non unienda sunt monasteria, quousque conventuales supersunt & observant regulam; non præbendæ, si sine iis cultus publicus cum pompa peragi nequit; non hospitalitati, non eleemosynis unio fraudi sit; nec diversarum diocesium beneficia unienda<sup>3</sup>.



- 1) C. 8. X. de excess. prel. Cl. ne in agro. de staz. monach. §. ad hæc.
- 2) Conc. Trid. sess. 24. c. 13.
- 3) Ibid. sess. 25. c. 8. sess. 14. c. 19.

quot mó-  
dis unio  
fiat?

IV. UNIO fit vel per *accessionem*, vel per *confusionem*, vel per *exaurationem*<sup>I</sup>. Per *accessionem*, quod plerumque fit, si beneficium principale titulum conservat, & beneficium unitum ejus fit membrum & accessorium, in quo, si curam animarum habet, constituendus est vicarius perpetuus. Per *confusionem*, si ambobus titulis suppressis novus creatur. Per *exaurationem*, si ambo tituli subsistunt æqualiter & independenter, ita tamen, ut semper conjunctim uni & eidem personæ sint conferendi. Resolvitur unio ex causis contrariis, rebus ad pristinum statum revolutis.

1) Gloss. in c. 1. X. ne sed. vac.



C A P. XXX.

DĒ RELIGIOSIS DOMIBUS.

I.

Hospita-  
lia olim  
episcopis  
subjecta  
eximuntur.

PRINCIPIO Episcopi partium fuit, pauperibus, infirmis, viduis, orphanis, peregrinis prospicere, quibus per diaconos partem oblationum, deductis, quæ clericis & fabricæ impendenda erant, erogavit. Postquam Ecclesiæ certos redditus nactæ sunt, quarta assignata est pauperibus, quibus, ut liberalius haberentur, domus religiose constructæ sunt, quas *hospitalia* vocabimus, quasve rexerunt presby-